DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

APOPLEXIA SANGUINEA

COMPLECTENS.

AUCTORE GULIELMO BURNIE.

PRAEFANDA.

Unaquaeque corporis humani pars, morbo implicita nequaquam est pariter lethalis. Plurimis enim membris captus sit homo sine vitae discrimine. Sed organa sunt a quibus vita praecipue pendet, si morbo afficiuntur, multum periculi adest. Inter haec cerebrum principem jure sibi attentionem vindicat; si hoc enim munere male perfungatur, universae corporis functiones injuriae participes evadunt. Quinetiam almus rerum parens capiti dedit, ut in illo siti sint animus, omnesque sensus, quibus



quibus "rerum cognoscimus causas," ac caeteris praestamus animalibus. Prae omnibus igitur necessarium est, quò mens et corpus valeant, cerebrum sua munera ritè perficere, his enim malè affectis, vires utriusque dilabuntur, et haud rarò mors pedem subitò corripit. Inter vitia hujus organi, locum primum ritè tenet apoplexia, quae eos saepissime adoritur, qui naturae convenienter haud vivunt, sed mensae luxuriis, pravisque moribus, ac liquoribus inebriantibus immodicè gaudent. CULLENUS eximius, qui omnibus nosologicis antecellit, hunc morbum in classe neurosium ordineque comatum posuit, et in his verbis definivit; "Motus voluntarii fere omnes imminuti, cum sopore plus minus profundo, superstite motu cordis et arteriarum." Porrò in species complures, quarum princeps, Apoplexia Sanguinea, "cum signis plethorae universalis, et praecipue capitis," comitatà, divisit. De hac, praetermissis aliis, mihi summos medicinae honores ab hac Alma Academia ambienti, nulla autem spe vana adducto aliquid novi proferendi, in animo est pauca dicere.

DE

DE MORBI HISTORIA.

Indicia morbum quem prosequimur designantia, in ea, quae impetum antecedunt, vel ejus adventum praesagiunt; et quae in paroxysmo adsunt, aptè dividi possunt. Animum, ad signa impetum indicantia maximi momenti erit, arctè attendere, si reputamus, quam multum, ad morbum praecavendum, sed quam parvum, praesenti paroxysmo, ad eum tollendum, saepe fieri possit. Aliquando quidem hic morbus aegrum, nullis praegressis signis, subitò adoritur. Multo tamen frequentius quaedam notae paroxysmum insequiturum praesagiunt, et saepe hebdomadas, menses, vel nonnunquam etiam annos ante primum impetum perstant. Aeger enim haud raro crebris ac gravibus capitis doloribus vexatur, quos ille nunc ad unam, nunc ad alteram partem praecipue refert. Vertigo aliquando sola, saepius autem cum cephalalgia occurrit. Has notas, frequens ac molestus aurium tinnitus, aliaeque auditûs depravationes excipiunt, ita ut aeger, varios aëris tremores audiat, adstantibus haud percipiendos. Surditas quoque fugax, nec non visus imminutus, et

et strabismus, aut visus duplex, hominem huic morbo valde proclivem haud raro afficiunt. Nonnunquam verò hic sensus adeo est depravatus, ut ante oculos muscae quasi volitent, et lucis scintillae fulgeant. Doctor Gregory "praeterea in eximiis suis praelectionibus" casus quosdam narrat, pulchreque depingit, quorum in uno, aeger statim ante impetum spectrum vidit; in altero, infelix auram epilepticam antecedere paroxysmum observavit; et denique in tertio, omnia aegri ante oculos quasi cum serpentibus visa sunt obduci. In plerisque inflammantur oculi; facies plerumque rubescit; et e naribus aut venis haemorrhoidalibus aliquando fluit sanguis, qui opem levem quidem et fluxam, urgentibus signis aliquantisper adfert, sed semper plethoram, quae adest, augere tendit.

Aliquando vero primum signum, periculum praesto indicans, est imminutus aut depravatus sensus, partes corporis quasdam tantum afficiens; vel paralysis plus minus fortis, musculos quosdam voluntarios, veluti in brachio, crure, vel extremis digitis, corripiens. Nec raro quidem unius palpebrarum levatoris solutionem videmus, quam multum auget loci stipati calor. Quin et musculi linguae adherentes aliquando adeo afficiuntur, ut

aeger

aeger non modo saepe titubet, sed haud raro vocem edere vix queat. In aliis autem exemplis, non modo tactus sed gustus etiam et olfactus tam depravati vel minuti sunt, ut applicatis propriis stimulis, vel sensum naturali dissimilem vel nullum quidem edant. Multum quoque variat memoriae facultas. Haud raro quidem memoria, quae antea prompta et tenax fuit, nunc valde socors et obliviosa evadit, (quod in hoc morbo mirum in modum occurrere aliquando observatur) aut omnino perit. Unus scilicet oblivisci affines aut familiares, qui illi carissimi sunt, nunquam non invenitur; alius nullâ verborum memoriâ, res in mentem facile revocat; alius cui res prorsus excidunt, nomina bene meminit; et adhuc est alius, cui reminiscendi vis, ante accessionem prorsus perdita est, sed in hac rediit, et in statu convalescente rursus abiit.* Somnolentia praesertim post prandium haud infrequenter accidit, et aliquando in somnum altum aut stuporem profundum sensim procedit. Oscitatio, mens vaga, et ad syncopen proclivitas aegrum nunc valde vexant. Denique nausea, vomitus, aliaque dyspepsiae signa ob consensum cerebrum inter et

ventriculum

* Audi Dr. Gregory Praelectiones.

ventriculum intercedentem, ut plurimum statim ante impetum superveniunt, et aeger plus minus sensu ac motu privatus, haud longè post humi decidit.

Oportet autem scire, signa jam nunc recensita, haud semper evenire, vel saltem in omnibus exemplis non tam certè notari, ut periculum, donec impetus fortasse lethalis evasurus supervenerit, suspicari liceat. Frequentissimè tamen quaedam ex his, aut singula aut conjuncta, paroxysmum adventare satis manifestè denotant, et occasionem quoque idoneam praebent, his utendi auxiliis, quae, vi majori, praecavendi, quam sanandi morbum medicos peritissimos subinde fallentem, satis perspicue pollent.

Haec indicia jam diutius aut brevius perseverata, nunc subito in pejus irruunt. Namque aeger in oratione valde titubat, balbutit, ac ambulando vacillat, oculique caligant, et si sedem prius tenet, lente dilabitur, sin aliter, in soporem plus minus profundum haud raro adeo perfectum, ut ne conatibus quidem ullis, vel stimulis admotis expergefieri queat, subito corruit. Nunquam sane aliquid sensûs ac motûs non retinet, utpote qui adstantium dicta aut facta bene audit et intelligit; questionibus quoque respondere, et

quosdam

quosdam articulos movere, saepe valet. Motus voluntarius plerumque in uno quam in altero corporis latere magis minuitur, et aliquando in quibusdam casibus quidem raris musculi unius lateris ex toto resolvuntur, alterius convelluntur. Nonnunquam quoque motus in uno corporis latere omnino deletur, dum in altero sentiendi vis fere prorsus aboletur. In plerisque hujusmodi exemplis, facies ad colorem rubrum aut lividum, perinde ac sanguis in arteriis aut venis congeratur, fere semper spectat, aliquando quidem pallida est et cadaverosa. Saepe quoque impetus sanguinis caput versus tam immanis est, ut arteriae temporales ac caroticae procul, fortiter micantes, percipi possint. Palpebrae plerumque semiapertae sunt, dum oculus ipse fere vitreus, haud raro quidem inflammatus apparet. Iris fere semper, praesertim finem morbi versus lethalem, valde dilatatur, aliquando vero praeter solitum contrahitur, nec lucis stimulo utcunque vividae unquam paret. Deglutitio maturè nunquam non difficilis evadit, aut fieri quidem nequit, et saliva aliquando ex ore, quod aliis in casibus perarescit, copiosè spumat. Siquando extruditur lingua, quod rarius quidem fieri possit, ad latus paralysi maximè affectum fere semper

spectat.

spectat. Pulsus varius est, primo ferè tardus, plenus, durusque; postea vero frequens, debilis, nunquam non irregularis aut intermittens, et denique variare videtur prout cerebrum a pressura laboret. Quin et tarda ac laboriosa est respiratio, aliquando suspiriis altis interrupta; et nonnunquam sed minime semper cum stertore perficitur. Quamvis aeger nunc haud loqui potest, tamen dum manet motus, ejus manum ad caput, ubi dolet, subinde applicat. Alvus fere semper pertinaciter adstricta est, aliquando vero etsi rarissimè, Diarrhoea sponte accidit, et sphincteres fere omnes, adstanti morte, resoluti fiunt. Urina quoque ut plurimum retenta est, aut stillicidium fere constans, cum magno aegri incommodo, contingit. Cutis initio aliquando arida ac calida est, postea vero sudor profusus, frigidus, glutinosus, saepe erumpit, mortemque haud raro praedicit. Sanguis quoque emissus, cùm coiit tunicam coreaceam ostendit. Membra nunc omnia resolvuntur, et quò posita sunt, eò jacent; extrema frigescunt; interdum autem tremores et convulsiones morbo finem imponunt.

Exitus quidem tam infelix et semper metuendus, praecipue homine ad apoplexiam valde proclivi, a primo impetu, die tertio, plerumque ante septimum,

timum, haud infrequenter accidit. Viri quoque ob pravos mores, magis quam foeminae, huic morbo obnoxii sunt. Qui tamen impetum primum effugerunt, fere semper tardè convalescunt, et ad plenam salutem vix unquam iterum redeunt. Namque animus imbecillis, ad fatuitatem fere appropinquans, imminuti sensus ac motus voluntarii, inde ab illo tempore haud raro perstant. Partes quoque praecipue paralyticae aut tumescunt, aut gradatim marcescunt, et aeger infelicem aetatem degit, donec tertio quartove morbi impetu, mors vitae miserandae eum eripit.



DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Inter causas, quae homines huic morbo obnoxios reddunt, structura cerebri vasorumque suorum jure recensetur. Haec massa est mollis, ossibus et tribus membranis arcte circumdata, ut nulla vis sanguinis propellendi per ejus substantiam adsit, nisi illa a tergo. Arteriae quoque, quae sanguinem per cerebrum vehunt, tenuiores sunt quam in ulla corporis parte, ideoque ad rupturam procliviores evadunt, venae ac sinus in

more tortuoso currunt, et valvulis etiam carent; quae omnia tardo circuitui maximè favent, et ad congestionem sanguinis scilicet in cerebro inducendam, nonnihil quidem conferunt.

Quinetiam senes, prae illis aetate florentibus, ad apoplexiam propensionem habent. In juventute enim experimentis ingeniosis probatum est, venas quam arterias majore vi pollere, et plus sanguinis in his quam in illis contineri. Hoc manifestum est, ex pulcherrimo florido colore, qui in facie et toto corpore, hac aetate, semper apparet. Sed contrarium est in senectute. In hac, enim, tunicae arteriarum quam venarum, ratione inversâ, densiores ac firmiores evadunt, ideoque in has quam in illas plus sanguinis propellunt. Inde in senibus pallor faciei, venae varicosae, ac haemorrhagiae per venas tam saepe occurrunt. Praeterea in corpore senili plurimae arteriae in cutem delentur, quo fit, ut sanguis majore in copia ad partes internas transmittatur. His omnibus rite perpensis, nihil dubii superest, quin senectus, homines ad hunc morbum procliviores, reddat.

Apoplexia plerumque est haereditarea, et homines temperamento sanguineo imbutos, interdum ad aetatem annorum viginti aut triginta usque

adoritur;

adoritur; sed raro quidem, nisi magna sit propensio, ante annum aetatis quinquagesimum aut septuagesimum unquam invadit.

Quibus magnum est caput, iis morbus multo faciliùs accidit; nec ratio latet. Quò amplius enim caput sit, eò copiosiorem fluere sanguinem, eòque tardius redire, oportet.

Huc quoque spectat brevis cervix, quae hominibus magno capite instructis tam saepe contingit, et illos quoque ad apoplexiam procliviores reddit. Caput enim cordi minus distat, et sanguis ad cerebrum, viâ breviore ascendit, ibique impetu majore petit.

Porrò qui luxuriosè vivunt, mensasque epulis instruere gaudent, illi citius obesitatem inducunt. Haec saepius occurrit, si modo vivendi naturae tam alieno, defectus exercitationis quoque additur. Ex his quidem conjunctis, adeps circa omentum, renes, et sub cutem, magna in copia saepe deponitur, et premendo in his partibus vasa sanguinea, in cerebrum et pulmones, quibus ille deest, sanguinem fortiter impellit. Sed praeterea quantitas magna adipis in abdomine collecta, non modo diaphragma sursum trudit, quo respiratio fit difficilis, et sanguinis circuitus per pulmones, tardus; sed quoque aortam abdominalem comprimit, ideoque sanguinem caput versus plus solito

propellit.

propellit. Hinc patet, quomodo hi effectus obesitatis propensionem ad apoplexiam praebeant.

Inter omnes convenit, fluxum sanguinis sive sponte, sive arte inductum, cum non sit nimius aut saepius repetatur, ad plethoram tendere; et quicquid solitas evacuationes quoque supprimat, ad eandem rem etiam pertinere. Hinc epistaxis, haemorrhois, et menses, quae fluere solent, sed nunc vel omnino sunt suppressae, aut saltem solito tempore haud fluunt, eam conditionem corporis saepe inducunt, quae ad morbum jam dictum praedisponit. Idem dici potest de ulceribus chronicis, et fontinellis ubi pus elici cessat, et amputatione ullius artûs, obstipatione fere perpetuâ, nec non vitâ sedentariâ, quae omnia ad eundem finem conferunt.

Quinetiam immodico usu liquorum ardentium, homines ad apoplexiam mirum in modum obnoxii fiunt, et in eam facillimè quoque incidunt. Hi enim liquores spirituosi non tantum per totum corpus sanguinis fluxum valde augent, sed etiam mirabiliter ad caput circuitum ejus accelerant, et vim insitam, ob consensum ventriculum inter et caput intercedentem, exhauriendo, congestioni in vasis cerebri maximè favent.

Compressio

Compressio in originem nervorum, quâ et sensus et motus voluntarii imminuuntur aut pene delentur, causa esse proxima omnibus creditur. Capite enim patefacto, turgida et haud raro rupta, vasa cerebri sanguinea, et effusiones sanguinis aut seri in superficiem, substantiam, aut suos ventriculos, fere semper reperiuntur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Inter causas, quae apoplexiam excitant, recenseri possunt quaecunque impetum sanguinis caput versus augent, et ejudem reditum e cerebro impediunt.

Illae, quibus cor admodum micat, fortasse sunt hujusmodi.

Exercitatio corporis nimia.—Modo haud obscuro, generalem nempè accelerando sanguinis motum, ejusdem praecipue autem caput versus copiam, cursu quidem curto magisque directo, existente simulque nullâ, vel parvâ saltem vi renitente, prae caeteris magnam derivando, fit causa validè excitans. Praeterea, exercitatione violenta respiratio difficilis ac curta evadit, quâ sanguinis

sanguinis per pulmones circuitus impeditur, et, ut supra dictum est, ad caput vertitur. Hoc satis manifestum est, faciei rubore, oculis sanguine suffusis, et epistaxi, quae haud raro exinde supervenit. Ita ex tali in capite congestione, vel distentio vel quidem ruptura vasorum, quae sanguinem per cerebrum vehunt, facile oriri potest.

Affectus animi excitantes.—Horum praecipui sunt ira, gaudium, et libido. Hi quidem affectus corpus valde excitant, et, cùm fluxum sanguinis ad caput incitando, tùm difficilem respirationem reddendo, haud rarò apoplexiae originem praebent. Quis non hominem irâ motum vidit, cum oculis micantibus et tota facie floridâ? Annon verisimile est, ut similes effectus partibus internis capitis illati sint, et ita effusio in cerebro fieri possit.

Calor externus,—utcunque corpori applicatus, et genus nervosum valde stimulat, et actionem cordis arteriarumque plus justo excitat, et forsan, ut quibusdam placuit, fluidas corporis partes quodammodo rarefacit. Ita conventus, aut conclavia nimis calida, quibus multi gaudent, subita tempestatis mutatio, balnei calidi usus, et hujusmodi alia, inter causas hunc morbum excitantes meritò enumerentur.

Ingluvies.

Ingluvies.—Quicunque plus justo edit, et, "veluti pecora, quae natura prona, atque ventri obedientia," se farcit, et motum sanguinis auget, et ventriculum distendit, adeo ut, diaphragmate sursum truso, difficilis evadat respiratio. Haec difficultas spirandi ita inducta, haud parum per pulmones impedit sanguinis circuitum, et ejus regressum etiam e capite ad cor, per venas minus facilem reddit, et hoc in modo morbum excitat. Sed vix fieri potest, quin consensus inter ventriculum adeo impletum et caput intercedens, ad excitationem morbi aliquid conferat.

Ebrietas.—Haec simili in modo ac supra dicto agere videtur. Inebriosi enim, inter colendum etiam Bacchum, saepissime hoc morbo impliciti sunt.

Causae, quae Apoplexiam excitant impediendo scilicet sanguinis reditum e cerebro sunt sequentes, quas paucis in verbis absolvam.

Caput pronum.—Varia corporis positio ad morbum excitandum maximè conducit. Capite enim deorsum inclinato, arteriae id versus sanguinem celerius vehunt, sed non tam facile venae eum reddunt, quia contra suum pondus destinatur redire.

Ligaturae circa Collum.—Quicquid arctiùs collum

lum circumdat, liberum sanguinis fluxum e venis jugularibus sistit, ideoque congestionem ejusdem in vasis cerebri infert.

Multae aliae causae,—quae nervosum genus valde stimulant fluxumque sanguinis generalem praecipue vero caput versus augent, aut ejus reditum liberè ex eo ad cor impediunt, hic quoque enumerarentur. Hujusmodi exempla sunt, medicamenta stimulantia, omnes praesertim spiritus medicati, tincturaeque variae, vis quoque electrica, excessus veneris; morbi pulmonis aut cordis ipsius, vapores aut fumi narcotici, ingens vis capiti illata, frigus quoque partibus corporis inferioribus praecipue applicatum, et denique podagra utcunque a pedibus subitò repulsa. Haec omnia invicem, ut fertur, homine priusquam proclivi, apoplexiam movere valuerunt.

Denique omnia,—in quibus diuturnam et plenam inspirationem et expirationem exercemus, veluti in canendo, instrumentum musicae inflando, tussim, sternutationem, vomitum, nixumque validum ad alvum evacuandam quodammodo ciendo, eodem ferè modo agunt, et apoplexiam excitare possunt. Has observationes esse veras multa exempla satis superque docent.

DE DIAGNOSI.

Hic morbus revera ab omnibus aliis, plerumque aspectu primo, facile discernitur; neque ullis quidem morbis, nisi epilepsia, ebrietate, et hysteria forsan, aut syncopê, confundi potest.

Epilepsia.—In hoc morbo musculi totius corporis fere omnes validè convellentur; vultus horrifice detorquetur; oculi fixi sunt ac prominentes; et aura epileptica interdum paroxysmum aliquamdiu antecedit. In Apoplexia contrà, musculi ferè omnes ex toto resolvuntur, aut si convulsiones unquam adsint, unum corporis latus tantum corripiunt, dum alterum paralysi penitus resolvitur; oculi fixi sunt vix autem prominentes, et palpabrae eos plus minus solito celant.

Ebrietas.—Multa cum Apoplexia communia habet, adeo ut difficilis aliquando sit aliam aliâ discernere. Haud raro autem, odor liquoris spirituosi peculiaris; historia aegri; pulsus parvus, debilis, frequens; et motus membri, admoto stimulo, ebrietatem satis designant. Dum e contrario, sopor maximè profundus; vultus ruber aut lividus; impetus paroxymi subitus; et pulsus plenus, validus, durus, Apoplexiam manifeste denotant.

Hysteria.—Sensus globi in abdomine se volventis ad

ad pharyngem ascendentis, ibique sensum strangulationis inducentis; sopor ferè minus profundus; "animus nec sponte varius et mutabilis," aegra nunc flens, nunc ridens; et fluxus urinae limpidae haud infrequenter copiosus, hysteriam ab apoplexia satis superque distinguunt. Foeminae praeterea huic morbo solummodo obnoxiae sunt.

Syncope, pulsus vix aut ne vix quidem percipiendus; facies pallida ac cadaverosa; oculi languidi; et anxietas circa praecordia magna, syncopes diagnosin haud dubiè statuunt.

DE MORBO PRAECAVENDO.

Hoc cum consilio, causae, quae morbum excitare possunt sedulò evitandae, et quae proclivitati manifeste favent, aeque sunt corrigendae. Quaedam ex his vero veluti corporis fabrica et aegri aetas haud penes nos sita sunt, itaque ne quidem ullo in modo evitari possunt. Illa autem quae plethoram et obesitatem gignere valent, maximam certè attentionem jure sibi vindicant e exercitatione, diaeta tenui, purgantium usu, et interdum sed rarius quidem nisi res solicitè moneant sanguinis detractione, optime sunt debellenda.

Quicunque

Quicunque ad corporis plenitudinem, ulla ratione, propensitatem magnam perspicue habet, exercitationem modicam, quotidianam, et secundum suas vires adhibere debet, ita ut neque corpus nimis calescat, neque respirationem vel sanguinis circuitum plus justo acceleret, sed tantum, sanguinem citra sudorem ad superficiem corporis placidè promoveat. "Exercitationis, (enim inquit Celsus,) finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit." Diversa sunt exercitationis genera. Aegrum tamen adipe multum gravatum, et ambulando aut equitando fere inhabilem, aliqua gestatione uti oportet. Parciori autem obesitati equitatio bene conveniat, aliquando vero vertiginem, et alia incommoda vix impunè toleranda quidem inducit. Ambulatio fere semper praeponi debet, utpote quae, dum exercitationi bene sufficit, corpus simul leniùs agitat, et alia equitationis incommoda illi quoque desunt. Quin et ars omnis, quam homo ita praedispositus, inclinato capite, exercere solet, ne morbum excitet, omnino est derelinquenda.

Praeterea quicquid cibi genus, quod plethoram aut obesitatem gignere valeat, stabili animo, protinus est fugiendum. Diaeta igitur plena, lauta, plus aequo condita, ex carne cujuscunque generis praesertim

praesertim confecta; butryum; conditurae; et quaecunque pistoris dulciarii opere composita, quia corpus nimis stimulant, ventriculum quoque haud parum onerant, plethoramque brevi gignunt, statim et prorsus sunt deneganda.

Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges: sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus uvae:
Sunt herbae dulces: sunt quae mitescere flammâ,
Molirique queant. Nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit: atque epulas sine caede et sanguine praebet
Carne ferae sedant jejunia. . . . .

Istiusmodi cibus poetâ tam pulcherrimè laudatus, et corpus refrigerat, et alvum quoque solutam tenet, et plethoram ac obesitatem semper apoplecticis imprimis nocivas optime praevertit. Praeterea aegrotans vix unquam coenam sibi indulgeret, quae parca saltem et levissima semper foret.

Potui quoque illius, quem apoplexia minitatur, cura haud levis adhibenda est. Omnes cerevisiae fortiores, vina quoque, quae corpus nimis nutriunt, calefaciunt, cerebrum et genus nervosum tam validè stimulant et plethoram atque obesitatem

gignen

gignere valent, omnino sunt rejicienda. Idem ferê dici potest de liquoribus spirituosis, quos, hodiernus pravus usus, non modo potûs communis partem, sed medicinam quidem pluribus inepte consecravit, " Nihilominus vero (inquit medicus eruditus) plurima et pessima incommoda nunquam non habent, et merito omnium rerum quas hactenus luxuria humana excogitaverit perniciosissimi habentur." Aegro igitur hoc morbo laborante pro potu quotidiano, aqua pura, serum lactis, lac butryi, aut cerevisia tenuis tantummodo usurpanda sunt. Quibusdam autem senibus arthriticis, aliisque, quorum vires malis moribus multum franguntur, solitum stimulum ventriculo subitò et ex toto abstrahere, nunquam non esset nocivum. Ab hisce igitur, diaetam ac potum sensim sensimque ad proprium modum subducere licet. Usus Necotianae Tabaci, nullo in modo, unquam permittendus est.

Purgantia ad corporis plenitudinem minuendam, atque proclivitatem nonnihil corrigendam, perutilia sunt. Quo cum consilio, medii sales et alia cathartica mitiora, in fractis et repetitis dosibus ita exhiberi debent, ut alvum semel aut bis indies leniter subducere valeant. Haec laxantia ita exhibita non tantum secretionem auctam efficiunt, sed etiam intestina ipsa plene exinaniunt, fluida

fluida corporis circumeuntia imminuunt, et sanguinem quoque e capite quodammodo divertunt. In exemplis autem gravioribus, vel quibus alvus subductu est difficilis, purgantibus acrioribus opus est, ut alvus semel saepiusve indies, saltem plenissime quâque hebdomedâ moveatur.

Quum signa vero magis urgent aut subito et multum ingravescunt, sanguis, ad periculum jam imminens avertendum, e brachio, aliundeve pleno rivo, extemplo mitti debet. Haec exinanitio autem suis incommodis haud caret, nam si modica, et saepe repitita vasa extrema quasi coarctari sinit, excretiones quoque diminuit, et plethoram exinde gignere tendit. Rebus ita se habentibus, haec operatio, nisi signa magis magisque iterum urgent, nunquam sit repetenda. Si vero aliquid dubii adhuc superest, sanguinem per hirudines, aut cucurbitulam cruentam temporibus aliundeve circa caput applicatas, abstrahere oportet; quae raro quidem generalis sanguinis detractionis incommoda aegro afferunt.

Fontinelli prope caput, vasa nonnihil deplendo, nunquam non prosunt; et epispastica ibi loci, irritationem inducendo haud parum quoque juvant.

DE

DE MEDENDI RATIONE.

Nunc nobis tantummodo restat, ut de ratione tractetur, qua paroxysmum tollere, et aegrum ad salutem, si fieri potest, iterum restituere oporteat. Sed priusquam de remediis singulis tractare incipiamus, praecipere oportet, ut omnia vestimenta, quae corpus aegri nimis arctè circumdant, laxata teneantur, et caput sit erectum; et per conclave, quo cubat, purus aer ac frigidus liberè transeat.

Sanguinis detractio.—Haec est remedium, cui maxima fides jurè reponitur. Sanguis revera, quam primum, pro signis urgentibus, aetate et viribus aegri, ad plenitudinem corporis minuendam copiosè mitti, et si opus sit, iterum iterumque repeti debet. Imprimis venam jugularem, aut arteriam temporalem secare oportet, et id, ut sanguinis unciae quindecim aut viginti, pollente homine satis viribus, ex magno orificio, semel et liberrimè fluat. Hoc ipso facto, vasa cerebri, ob vasorum commercium, optimè deplentur, ut cerebrum ipsum liberari possit. Quod si haec vasa haud incidere possunt, affecto quoque uno plus altero

altero latere, sanguis e vena brachii, lateris scilicet minus affecti, pleno rivo mitti debet. Tunc temporis hirudines aut cucurbitulae, fronti, occipiti, temporibusve applicatae, ubi vires rationem aliam haud bene sinunt, multum quoque juvant.

Purgatio Alvi.—Purgantia, modo si maneat facultas devorandi, sanguinem scilicet, ut sub Prophylaxi jam dictum est, e capite derivando, in paroxysmo multum opitulantur. Optime autem convenit submurias Hydrargyri cum jalapa, gambogia, scammonia, aut colocynthide conjunctus, utpote quae et alvum plenissimè subducunt, et intestina admodum stimulant, ibique sanguinem plus solito derivant. Amissa, autem devorandi facultate, enemata acriora per rectum injici debent.

Frigoris applicatio.—Caput ad cutem tonderi debet, et spongia aut linteum aqua quam frigidissima madefactum assiduè eo applicandum est; aqua frigida, cum aceto aut quibusdam salibus mediis mista, et capiti ut suprà admota, plus adhuc juvat.

Vesicatoria.—Haec quoque post sanguinis semel saepiusve detractionem, toto capiti, pone aures, aut occipiti admota fere semper multum prosunt;

sunt, quippe quae cutem ibi loci valde irritant, eique plus sanguinis alliciant, atque ita ob nexum partes internas inter et externas intercedentem vasa cerebri haud parum exonerant.

FINIS.